Biblia sacra: Testamentum vetus

Italien (?), 13. Jh. (1. Hälfte)



eusebium: et eorum testimonio
me uerum dicere comprobabit.
Audiant quapropter canes mei: idcir
co me in hoc uolumine laborasse.
Non ut interpretationem antiquam
reprehenderem: sed ut ea que in illa
aut obscura sunt. aut omissa: aut
certe scriptorum uitio deprauata ma
nifestiora mea interpretatione fie
rent: qui et hebreum sermonem
ex parte didicimus: et in latino pe
ne ab ipsis cunabulis inter gram
maticos et rethores et phylosophos
attriti sumus. Quod si apud gre
cos post septuaginta editionem
iam christi euangelio coruscante iude
us. aquila et simmachus. ac theo
dotion. iudaizantes heretici sunt
recepti: qui multa misteria salua
toris subdola interpretatione cela
runt. Et tamen in exemplo habentur
apud ecclesias. et explanantur ab ec
clesiasticis uiris: quanto magis ego
christianus. de parentibus christianis. et
uexillum sic crucis in mea fronte
portans: Cuius studium fuit o
missa repetere: Deprauata corri
gere: et sacramenta ecclesie puro et fideli
aperire sermone: uel a fastidiosis.
uel a malignis lectoribus non debeo re
probari. Habeant qui uolunt uete
res libros. uel in membranis purpu
reis. auro argentoque descriptos:
uel uncialibus. ut uulgo aiunt
litteris onera magis exarata quam
codices. Dummodo michi meisque per
mittant pauperes habere scedulas:
et non tam pulchros codices quam emen
datos. Utraque editio. Et lxx iux
ta grecos: et mea iuxta hebreos: in
latinum meo labore translata est.

Eligat unusquisque quod uult. Et
studiosum me magis quam maliuo
lum probet. Explicit prologus.

Incipit liber Iob.



UIR ERAT
in terra hus: nomi
ne iob. Et erat uir
ille simplex et rectus
ac timens deum. et
recedens a malo.
Natique sunt ei sep
tem filii: et tres fi
lie. Et fuit possessio eius septem mi
lia ouium: et tria milia camelorum.
Quingenta quoque iuga boum: et
quingente asine: ac familia mul
ta nimis. Eratque uir ille magnus
inter omnes orientales. Et ibant filii
eius et faciebant conuiuium per domos:
unusquisque in die suo. et mittentes
uocabant tres sorores suas. ut com
mederent et biberent cum eis. Cumque
in orbem transissent dies conui
uii: mittebat ad eos iob et sanctifica
bat illos. Consurgensque diluculo:
offerebat deo holocausta per singulos.
Dicebat enim. Ne forte peccaue
rint filii mei: et benedixerint deo
in cordibus suis. Sic faciebat iob:
cunctis diebus. Quadam autem die
cum uenissent filii dei ut assiste
rent coram domino: adfuit inter
eos etiam satan. Cui dixit dominus.
Unde uenis? Qui respondens ait.
Circuiui terram: et perambulaui eam.
Dixitque dominus ad eum. Numquid
considerasti seruum meum iob. quod
non sit ei similis in terra. Homo sim

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_17/0656

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG